

[Your entire abstract should be submitted in MS Word, in Times New Roman 12 pt font, justified, single spaced, with no indentation at paragraph heads, and an extra space between paragraphs. It can be no more than 500 words, should use parenthetical references rather than footnotes, and must fit on a single page. Use the following example as a guide.]

De Mortibus Persecutorum

Lucius Caecilius Lactantius
Universitas Nicomediensis

Audivit dominus orationes tuas, Donate carissime, quas in conspectu eius per omnes horas cotidie fundebas, ceterorumque fratrum nostrorum, qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam pro fidei meritis quaesierunt. Ecce, deletis omnibus adversariis, restituta per orbem tranquillitate, profligata nuper ecclesia rursus exurgit et maiore gloria templum dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia domini fabricatur. Excitavit enim deus principes qui tyrannorum nefaria et cruenta imperia resciderunt et humano generi providerunt, ut iam quasi discusso tristissimi temporis nubilo mentes omnium pax iucunda et serena laetificet. Nunc post atrae tempestatis violentos turbines placidus aer et optata lux refulsit. Nunc placatus servorum suorum precibus deus iacentes et afflictos caelesti auxilio sublevavit, nunc maerentium lacrimas extincta impiorum conspiratione deterisit. Qui insultaverant deo, iacent, qui templum sanctum everterant, ruina maiore ceciderunt, qui iustos excarnificaverunt, caelestibus plagis et cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Sero id quidem, sed graviter ac digne.

Distulerat enim poenas eorum deus, ut ederet in eos magna et mirabilia exempla, quibus posterii discerent et deum esse unum et eundem iudicem digna videlicet supplicia impiis ac persecutoribus inrogare. De quo exitu eorum testificari placuit, ut omnes qui procul remoti fuerunt vel qui postea futuri sunt, scirent quatenus virtutem ac maiestatem suam in extinguendis delendisque nominis sui hostibus deus summus ostenderit. Ab re tamen non est, si a principio, ex quo est ecclesia constituta, qui fuerint persecutores eius et quibus poenis in eos caelestis iudicis severitas vindicaverit, exponam.